

partim historicum. Illo Semum præponi Japheto, quemadmodum Jacobus Esavo Jos. 24. 4. Isaacus Ismaeli 1. paral. 1. 28. Ephraimus Manassi Gen. 48. 10. Hoc Chamum præcedere Japhetum, quemadmodum Gen. 10. Chami Genealogiam Semi Genealogiæ videmus præmissam. Ordinem autem naturalem si observare velis, eos ita collocandos fore, Japhet, Sem, Ham. In hac sententia sunt ex Judæis Raschi, & Ramban. ap. Abarb. l. c. c. 3. l. 23. s. ex Christianis Nold. Concord. not. eruditiss. n. 1464. Tarnov. Exerc. bibl. p. m. 724. ff. Georg. Koenig. in Vindic. Disp. 28. loc. 92. p. 497. Lightf. prolegom ad Harm. 4. Evangg. Sect. 2. T. 1. opp. f. 239. Pfeiff. l. supra c. & alii ferme innumeri.

§. 2. Et hæc postrema sententia egregie confirmatur ex præsentis loco nostro, si conferamus cum eo Gen. 5. 32. ubi Noachus dicitur ætatis suæ anno quingentesimo incepisse gignere; & Gen. 7. 6. & 11. ubi diluvium incidisse dicitur in annum Noachi sexcentesimo. Ex quibus Scripturæ locis pronum est concludere cum B. Tarnovio: Filius Noachi natus maximus ipso diluvii anno fuit præcise centenarius. Sed Sem eo anno non fuit præcise centenarius. E. Sem non fuit filius Noæ natus maximus. Hoc enim in loco centenarius demum dicitur biennio post diluvium. Idem quoque per alia Sc. loca patet abunde, sic enim Gen. 9. 24. Chamus inter Noæ filios minimus dicitur, in primis si ibidem jungamus v. 22. denique Gen. 10. 21. manifeste loquitur Japhetum primogenitum fuisse, quando asserit ibidem Scriptor facer, quod Semi fuerit frater maximus.

§. 3. Sed varia sunt, quæ hic excipiunt quibus contraria placet sententia, quorum præcipua momenta strictim breviterque percurremus. Non confutabi-